

Ego pluam vobis panes de cælo.

Léctio libri Exodi

16, 2-4. 12-15

In diébus illis:

² **M**urmurávit omnis congregátio filiórum Israel
contra Móysen et Aaron in solitúdine,
³ dixerúntque filii Israel ad eos:
«Utinam mórtui essémus per manum Dómini
in terra Ægýpti,
quando sedebámus super ollas cárniúm
et comedebámus panem in saturitáte.
Cur eduxístis nos in desértum istud,
ut occiderétis omnem cœtum fame?».

⁴ Dixit autem Dóminus ad Móysen:
«Ecce ego pluam vobis panes de cælo;
egrediátur pópulus
et cólligat, quæ sufficiunt per síngulos dies,
ut tentem eum,
utrum ámbulet in lege mea an non.

[5-11]

¹² Audívi murmuratiónes filiórum Israel.
Lóquere ad eos:
Véspere comedétis carnes
et mane saturabímmini pánibus
scietísque quod ego sum Dóminus Deus vester».

¹³ Factum est ergo véspere,
et ascéndens cotúrnix opéruit castra;
mane quoque ros iácuít per circúitum castrórum.

¹⁴ Cumque operuísset superficiem desérti,
appáruit minútum et squamátum
in similitúdinem pruínæ super terram.

¹⁵ Quod cum vidissent filii Israel,
dixerunt ad invicem: «Manhu?»
(quod significat: «Quid est hoc?»).
Ignorabant enim quid esset.
Quibus ait Móyses:
«Iste est panis,
quem dedit Dóminus vobis ad vescéndum».
Verbum Dómini.